EPISTOLA


PASTORALIS

AD

CLERUM POPULUMQ. UNIVERSUM

NARNIENSIS

DIOECESEOS



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA SALVIUCCI

1842

JOSEPHUS MARIA GALLIGARI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS NARNIENSIS

SS. DOMINI N. GREGORII PAPAE XVI.

ANTISTES DOMESTICUS ET PONTIFICIO SOLIO
ASSISTENS.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, ET DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS ORDINI CANONICORUM, ANIMARUM CURATORIBUS, UTRIQUE CLERO, OPTIMATIBUS, POPULOQUE UNIVERSO DIOECESIS SUAE PACEM, ET SALUTEM A DOMINO SEMPITERNAM.

CUM plures jam per annos gravissimo animarum Rectoris munere in Paroecia S. Jacobi Apostoli ad mausoleum Augusti fungerer, atque in Curia viri Eminentissimi Cardinalis in urbe Vicarii honorificentissima tum judicis clericis probandis, tum adsertoris Matrimoniis, ac religiosis professionibus tuendis officia obirem, numquam certe *Ven. Fratres, et dilectissimi in Christo Filii* fieri aliquando posse putassem, ut suprema Gregorii XVI. Pont. Max. auctoritate vester constitutus Episcopus sederem cum Principibus terrae. Qui quidem nuntius ubi primum meis insonuit auribus, cum nihil tale umquam cogitassem, non modo non expetissem, obstupui, fateor, atque expavi, probe noscens onus multo gravius mihi imponi, quam quod amplius decem annos jam su-

stinebam. Etsi enim in animarum procuratione versarer, atque munus exercerem plenum laboris, plenum timoris, plenum sollicitudinis, non tamen in eo primae mihi partes agendae, neque christiana plebs meae fidei concredita, nisi unius Paroeciae finibus circumscripta. At vero Episcopali dignitate honestatus, et sacro Narniensi Ecclesiae devinctus connubio, quis non videt, multo ampliorem mihi demandari provinciam, eamque meis potissimum humeris, et quidem omni vita, sustinendam? Itaque collati muneris objectam speciem penitus considerans, haud potui, quin pro rei gravitate vehementer statim commoverer, nec levi premerer sollicitudine. Versabatur enim mihi ante oculos immensum pene virtutum agmen, quibus Episcopus pollere debet, ac ingens, et multiplex rerum gerendarum pondus, et districta animarum vestrarum ratio supremo Christo judici reddenda. Jam porro oculos in me convertens, atque eis ingenii dotibus, eaque doctrinae supellectile, ceterisque virtutibus destitutum me plane perspiciens, quae ad tanti muneris partes rite obeundas requiruntur, majore curarum aestu me jactari, ac prope obrui sentiebam. Et quod olim sibi Leo Magnus ad totius Ecclesiae regimen evectus, id eo potiori jure exclamandum mihi esse videbam, quo minus nullo modo cum illo sum comparandus (1) *Domine, audivi auditum tuum, et timui, consideravi opera tua, et expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti?* Neque vero parum quoque commovebar, quod eam administrandam suscipiam Ecclesiam, cujus Cathedra tot cum do-

(1) Sermo II. de Assumpt. cap. I.

ctrina, tum pietate illustribus viris fuit semper honestata, quodque fortasse etiam majus, successor accedam clarissimi viri Joachimi Tamburrini, qui octo fere annos tam provide, tamque sapienter istam moderatus Ecclesiam, religione vitae, animi constantia, morum comitate, caritate in omnes, et virtutum omnium ornatu vel maxime fulgens, omnium sibi animos devinxit.

In hac igitur animi fluctuatione, ac metu levavi oculos meos in montes, et expandi manus meas ad Dominum Deum nostrum, votis omnibus ac precibus orans, et obsecrans, ut *illuminaret tenebras meas, et ita scirem quid placitum oculis ejus, quidque acceptum esset apud eum.* Hinc illum ipsum adii, qui super Cathedram Principis Apostolorum constitutus, Christi Vicarium hic in terris gerit operam, ac omnigenam virium mearum infirmitatem excusans, nihil inexpertum reliqui, ut si possem, ab inito consilio dimoverem. Verum ad irritum omnia cadere videns, tandem obmutui, humiliatus sum, atque illius voluntati mihi omnino obtemperandum censui, cui traditae sunt claves regni caelorum, quique Dei hic in terris voluntatis interpres, cum praesertim ex ipso Pontifice hanc Dei voluntatem esse acceperim. Quamobrem recreatus aliquantulum, et caelesti rerum omnium dispensatione id obtigisse ratus, Deiparae Virginis ope implorata, ad divinam voluntatem me totum contuli, atque ex infirmitatis meae conscientia oculos avertens, in certam spem ingressus fore, ut qui potens est suscitare de pulvere egenum, et de lapidibus filios Abrahae, idem ipse exoratus, ea mihi praebeat auxilia, quibus factus forma gregis ex animo exhi-

beam meipsum operarium inconfusibilem recte tractantem verbum veritatis. Hac mente spem omnem in Deo ponens, qui dives est in misericordia, et inclinet aures suas clamoribus pauperum, humeros, ut par erat, oneri supposui, atque oculos ad vineam, quae mihi excolenda traditur, convertens, jure lactandum mihi esse cognovi. Narniensis enim Ecclesia mihi regenda committitur, quae vel ab ipsis christianae religionis primordiis ex ignorantiae tenebris, et umbra mortis, ad veritatis lumen traducta eos semper habuit Antistites, qui pietate, et doctrina praestantes nihil umquam intentatum reliquerunt, ut uberrimos in dies justitiae fructus ederet. Vos vero memores tot praestantium Praepositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, egregia pietatis, et virtutis argumenta in hac praesertim misera temporum asperitate ita praebuistis, ut neque doctrinis variis, et peregrinis abducti, neque decepti per philosophiam, et inanem fallaciam, in fide fundati semper et stabiles permanseritis. Huc porro cum accedat singularis vestra morum humanitas, eximia ingenii, et virtutis indoles, atque etiam ea amoris, et benevolentiae officia, quibus tam benigne me jam prosequuti estis, in cam prope certam spem ingredior fore ut pastorale munus quod ipsum per se grave, immo docente Augustino, (1) *quo nihil est in hac vita difficilius, laboriosius, periculosius*, levius aliquanto evadat. Quae quidem spes major, ac firmior mihi ostenditur, propterea quod haud ignoro vos paucis ab hinc mensibus magis magisque enutritos fuisse verbis fidei, et

(1) Epist. 145. ad Valer.

scientia Dei in sacris expeditionibus, quae magno cum animarum vestrarum bono apud vos habitae.

Itaque vix dum manuum impositione, et mystica sacri chrismatis unctione accepta ab Eminentissimo Principe Constantino Patrizi Cardinali vice sacra Antistite Urbis, quem honoris, et grati animi causa hic nominatum volo, nulla interposita mora manum statim calamo admovens, hanc vobis epistolam raptim conscribendam curavi, ut quam citissime intelligere possitis, qui meus in vos amor, atque voluntas. Ac primum singulos quosque salutans in osculo sancto, et tamquam filios jam mihi in Christo carissimos amplectens, vobis persuasum velim, me nullo umquam tempore vestris commodis esse defuturum, et quantum, cura, labore, vigiliis, auctoritate, consilio eniti, atque efficere potero, nihil praetermissurum, quod ad vestram salutem, atque animarum vestrarum rationes pertinere arbitrabor. Equidem ero in medio vestrum non jam tamquam dominans in Cleris, sed veluti Pastor amantissimus, nihilque mihi potius, nihil gratius, nihil jucundius erit, quam ut ipse requiram oves meas, visitem eas, et pascam in montibus Israel in rivis, et pascuis uberrimis, ut ibi requiescant in herbis virentibus. Si quam vero ovem forte inveniam, quae aberraverit a via, Pastoris evangelici exemplo, patienter admodum, leniter, ac mansuete imponam super humeros meos, gaudens, eo quod invenerim ovem meam quae perierat. Neque enim umquam ab sacrosanctae Tridentinae Synodi (1) monitis discedam, ut animarum Pastores ex Apostoli praescripto *arguant*, *obsecrent*, *incre-*

(1) Sess. XIII. cap. I. de Reformat.

pent, in omni bonitate, et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas. Quocirca si quos in mandatis Dei delinquentes, et a veritatis, ac justitiae via aberrantes reperiam, corripiam eos in misericordia, increpabo ut Pater, vel Frater potius in omni bonitate, et patientia; sum enim Pontifex ex hominibus constitutus in iis, quae sunt ad Deum, qui condolere possim iis, qui ignorant, et errant. Si qui tamen (utinam nulli) adeo inexorabiles, et excordes erunt futuri, ut neque paternis monitis, consiliis, minis a via iniquitatis possint deterreri, profecto, ut mei officii ratio postulat, Judicis tunc personam induam, quin tamen exuam Patris, ut juxta ejusdem Tridentinae Synodi (1) praescripta, ad quae in omnibus me conformaturam profiteor, cum *mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum bonitate adhibeatur severitas, ut sine asperitate disciplina populi salutaris, ac necessaria conservetur.*

Jam vero singulos quosque civium ordines alloquuturus, ut singulis aliqua paterni in eos animi indicia praebeam, primum, ut par est, vos saluto, et amplexor in Domino *spectatissimi Cathedralis Templi Canonici*, qui Episcopi Senatum, et Consilium constituitis. Vos quidem estis tamquam luminaria posita in Sanctuario, et lucernae ardentes in Templo Domini. Non leve certe praesidium a vobis mihi spondeo, quippe cum pietatis, et doctrinae laude praestetis, haud dubito quin me tanto onere laborantem, qua consilio, qua viribus semper adjuvare velitis. Cum

(1) Sess. XIII. cap. I. de Reformat.

vero vestrum sit levare manus vestras in sancta, et sacrificium laudis praestare Domino, ac psallere unanimes in domo Domini, profecto spero vos quasi conciliatores pacis factos Deum inter, et homines christianam plebem ita placaturos Domino, ut divina quaeque ad salutem auxilia ei impetretis. Neque enim, *ea solum mente*, monet Mediolanense Concilium (1) ad chorum, *nempe ad Sancta Sanctorum, et ad publicae orationis sacrificium debetis accedere, atque in conspectu Dei Omnipotentis, et in corona innumerabilium Angelorum, et Sanctorum, eo loci consistere, ut Sanctissimum Deo cultum, venerationemque tribuatis*, verum etiam *ut ab eo et vobis, et aliis omne bonum deprecemini.* Alacres igitur estote in excubiis Domini, ea sit inter vos contentio, ut magis magisque diligatis decorem domus Dei, ea aemulatio, ut quantum ordine, et dignitate ceteris, tantum etiam virtutum omnium splendore eluceatis.

Collegialium Templorum Canonici illud ipsum vobis dicam, quod jam Canonicis Cathedralis Templi; quibus enim munus idem, eadem quoque munia obeunda, ut scilicet *attente, studiose, rite, pie, religiose, divinas laudes concelebretis, et psallatis Deo in conspectu Angelorum cantantes in cantibus vestris Domino* (2) tum praeterea ut virtutum omnium ornatu fulgeatis in templo Domini.

Ad vos mea jam festinat oratio probatissimi, mihique carissimi *Animarum Rectores*, qui alteri a me in Pastoralis ministerii societatem vocati, commilitones, et coopera-

(1) Concil. Prov. V. part. 3.
(2) Concil. Mediolan. Prov. IV. part. 3. in monit.

tores mei estis. Equidem labores, curae, vigiliae, quas pro commisso mihi grege suscipiam, parum aut nihil etiam sunt profuturae, si vos quantum in vobis erit, me adjuvare, mihique auxiliarias semper praebere manus nequaquam studeatis. Quid negotii, et oneris susceperitis, ipsi per vos intelligitis. Vestrum enim est pascere continenter christiam plebem vestrae curae commissam verbi Dei praeconio, ut sanctissimae fidei praeceptionibus imbuta numquam ab eis deflectat, pascere Sacramentorum administratione, omnique sacrorum ope, ut divinis auxiliis roborata salutis iter facilius insistat, pascere salutaribus monitis in doctrina sana, ut in justitiae semitam possint redire, si qui forte ab ea aberraverint. Vestrum quoque est confortare pusillanimes, calamitosos, omnesque, vel paupertate, vel quovis alio incommodo pressos, pro re, et tempore juvare, ac visitare infirmos, eisque omnia praebere auxilia, quo facilius ipsi cum morte jam colluctantes Daemonis insidias, et mille nocendi artes retegant, ejusque tela devitent. Sinite vero quaeso, ut per viscera Jesu Christi vos orem, ut obsecrem, ut studio, quam licet maximo contendatis rudes praesertim homines atque puerulos fidei rudimentis patienter admodum, ac leniter erudire, eorumque teneras mentes, et cerea corda ad omnem virtutem informare. Nihil enim est tam lacrimabile, et luctuosum, nihil christianae, ac civili reipublicae tam perniciosum, quam ut pueri mature ediscant, quae senibus dediscenda, vel potius ignoranda, utque omne nefas de tenero meditentur ungui, in fidei vero, ac religionis nostrae mysteriis, atque praeceptis imperiti reperiantur. Et quoniam probe noscitis,

nos in tanta temporum asperitate versari, quibus non pauci reperiuntur peritissimi scelerum artifices, et fabricatores mendacii, qui libertatem promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis, veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, ac christianae religionis, et civilis quoque societatis fundamenta labefactare, et evertere commoliuntur, vigilate, excubate ne aper de silva, vel singularis ferus in ovile irrepat, ovesque discerpat, mactet, et perdat. Haud ignoro haec, et cetera omnia, quae vestri officii ratio postulat, si semper alias, hisce certe temporibus longe laboriosissima, ac molestissima, sed viriliter agite, confortamini in Domino, nam merces vestra copiosa erit in caelo, et cum apparuerit Princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriae coronam.

Jam vero vos alloquor *Sacerdotes Levitae*, et quotquot ecclesiasticae militiae jam addicti, Dominum elegistis in partem hereditatis vestrae. Memores in primis sitis obsecro, maximi in Ecclesia muneris, quo vos dignatus est Deus, ac tanti honoris recordatione ad omnem virtutem vos excitetis oportet, ut vestra integritas, atque religio quasi lumen aliquod aliis luceat. Summa animi contentione summoque consensu divino cultui, divinisque rebus intendite, in iis vestras omnes curas, cogitationes, studia consumite. Siquidem *altissima est professio vestra, caelos transit, par Angelis est, aliorum est servire Deo, vestrum autem adhaerere Deo* (1). Vobis datum est offerre Deo hostiam puram, sanctam, immaculatam. Qua igitur manuum puritate, qua cordis munditia introeundum vobis est ad altare Dei, ne judi-

(1) S. Bernard. epist. ad fratr. de Monte Dei.

cium vobis ipsis manducetis, et bibatis, accumbentes, et epulantes in mensa Domini non habentes vestem nuptialem? Ad vos pertinet assiduas ad Deum fundere preces non modo ut muneris vestri partes rite obire possitis, verum etiam ut delictorum veniam, et divina christiano populo impetretis auxilia, quibus per bona opera certam suam vocationem, et electionem facere queat. Itaque non solum statas quotidie preces attente, pie, ac devote, ut par est, non vero cursim, unoque spiritu, et primis etiam tenebris, persolvere debetis, verum etiam opus est, quemadmodum ait Mediolanense Concilium (1) *ut omni sancta oratione vos assidue exerceatis; tum in meditationis, tacitaeque piae orationis studio singulis diebus certo temporis spatio, toto castissimi animi sensu, incumbatis.* Cum vero vos sitis *Presbyteri in populo* atque a vobis *pendeat anima illorum* (2), exhortationi, lectioni, doctrinae attendatis oportet, ut docere, et respondere iis valeatis, qui legem Domini requirunt de ore vestro. Qua de re clamat Hieronymus (3) *divinae scripturae sint semper in manibus vestris, ac jugiter in mente volvantur*, ut obtinere possitis eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, atque exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere. Atque abnegantes impietatem, et saecularia desideria, quae militant adversus animam, praebete vosmetipsos in omnibus exemplum bonorum operum *in verbo, in conversatione, in caritate non ficta, in doctrina, in fide, in castitate.* Nihil umquam in vobis reperiatur, quod aliis offensioni esse

(1) Concil. Mediol. IV. in monit.
(2) Jud. cap. 8.
(3) Epist. ad Calant.

possit, *nihil* iccirco, ut ait Tridentina Synodus (1), *habitu, gestu, sermone, aliisque omnibus rebus, nisi grave, moderatum, ac religione plenum. Levia etiam delicta, quae in vobis maxima essent, effugite, ut vestrae actiones cunctis afferant venerationem.* Ita quidem fiet, ut non modo qui adversus est, vereatur, nihil habens malum dicere de vobis, verum etiam quisque vestrum, prout suae ferunt partes, dicere queat, quod olim Paulus: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

Singulari paterni animi mei benevolentia vos modo complector *Adolescentes Clerici* filioli mihi carissimi, qui in seminario degitis, et tamquam novellae plantationes succrescitis in circuitu tabernaculi Domini. Vos quidem estis pupilla oculi mei, et tota spes gregis. Itaque vos moneo, immo obsecro, ut pietatem, vitaeque innocentiam, integritatem, modestiam, ac prope virginalem verecundiam ex animo semper colatis, omnisque gloriatio vestra sit in timore Domini, qui est initium sapientiae. Omni vero studio, cura, diligentia, in amoeniores litteras, severioresque disciplinas praesertim sacras addiscendas incumbite, atque alacri, libentique animo iis omnibus obedite, qui vobis praesunt, quique vos ad virtutem fingere, et doctrinis erudire student, ut possitis in tempore aedificare Domino domum fidelem, et ambulare coram Christo ejus cunctis diebus.

Paucis vos teneam Ven: *Religiosarum Familiarum Alumni*, qui victis voluptatum illecebris, abjecta honorum spe, omnibusque vitae commodis posthabitis, et ne animi quidem, ac voluntatis libertate retenta, tamquam lectissimi Chri-

(1) Sess. XXII. de Reformat. cap. I.

sti milites ab oculis, convictuque hominum remoti caelestia tantum speculari professi estis. Memores estote vocationis vestrae, atque illustria Patrum vestrorum exempla imitantes, eorum vestigiis insistite, uni Deo adhaerete, aemulantes semper charismata meliora. Et quoniam veterani Ecclesiae milites semper et dicti, et habiti, nullis umquam neque curis, neque laboribus parcite, ut gregem mihi concreditum omni ope, et opera adjuvare possitis in ministerio salutis, atque ita eorum occludere ora, qui vos maledico dente carpere audent.

Virgines Deo sacrae selecta pars gregis, candida lilia convallium, atque aurea Ecclesiae monilia, quam vellem quae mecum ipse de vobis sentio, eadem vobis exprimere! Vos enim egressae de cognatione vestra, et oblitae domus patris vestri, tamquam simplices columbae demigrastis in desertum, et convolastis in solitudinem, ut innocentia vitae, morumque puritate arctius adhaereretis dilecto, qui speciosus prae filiis hominum pascitur inter lilia, quique induit vos vestimentis salutis, et circumdedit vos indumento justitiae. Nolite quaeso umquam respicere tentoria Aegypti, vel tabernacula Cedar, sed majore semper amore quaerite dilèctum in foraminibus, et in caverna maceriae, currite in odorem unguentorum ejus, tenete eum, nec dimittite, atque euntes de virtute in virtutem, puriore semper caritatis oleo ornate lampades vestras, quibus occurratis sponso, ut introducat vos in aeterna tabernacula. Dum vero diurnis, nocturnisque precibus levatis manus vestras in sancta, Deum et Virginem Matrem pro me orare numquam desinite, ut omnibus omnia factus, non faciam animam meam pretiosiorem quam me, dum-

modo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu.

Nunc vero honoris causa vos nomino *spectatissimi Magistratus, et Optimates*, omnesque alii, qui generis nobilitate, vel auctoritate, et opibus ceteris praestatis. Dici profecto vix potest quantum cum vobis, tum mihi, ac omnibus proderit, si virtutum quoque exemplo ceteris praeluceatis. Nihil enim validius, nihil opportunius ad christianam plebem a vitiis avocandam, atque in officio continendam, quam morum probitas, vitae integritas, atque religio eorum, qui aliis praestare, ac praesse conspiciuntur. Nulla vero umquam apud vos personarum acceptio, ut ne digitum quidem discedatis ab justitia, et honestate. Ne avertatis umquam aures vestras a clamoribus pauperum, sed auxiliarias eis semper extendite manus, nam *beatus est qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*; *atque eleemosina ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.*

Postremo os meum patet ad vos omnes, quotquot estis, *dilectissimi in Christo Filii* cujusque ordinis, aetatis, sexus, et conditionis. Atque in primis vos oro, ut fidei depositum, quod singulari Dei beneficio accepistis a majoribus vestris, integrum inviolatumque custodiatis. Qua de re illud vobis maximopere commendo, immo per viscera Domini Nostri Jesu Christi, hortor, et obsecro, ut eorum societatem, et colloquia diligentissime devitetis, qui in tanta temporum asperitate, audent os suum ponere in caelum, ac secundum sua desideria ambulantes, et *loquentes mendacium*, et *ineptas, atque aniles fabulas* sequunti, quaecum-

que ignorant, blasphemant, ac mellito quodam sermone, et contortis sophismatis improvidos, ac imperitos decipere, et in fraudem inducere, ac jura quaeque divina et humana permiscere, et funditus evertere connituntur. Sunt scilicet erroris magistri prurientes auribus, qui a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas convertuntur, nihilque inexpertum relinquunt, ut alios sibi satellites, et iniquitatis administros addant, ac praecipites agant in foveam quam sibi ipsi foderunt. Ab iis tamquam a facie colubri effugite, ac memoria semper repetentes, vos superaedificatos esse super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu, sumite in omnibus scutum fidei, quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Cum autem fides sine operibus mortua sit, singula quaeque Dei mandata omni cura, contentione, studio servanda curate. Diligite quaeso primum Deum, quia ipse prior dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis omnibus. Diligetis vero eum, uti oportet, si omnia ejus praecepta servabitis, *quicumque* enim, clamat Jacobus Apostolus, *totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Cavete igitur *dilectissimi* ne quid umquam admittatis, quod a divina lege abhorreat. Pavete, obsecro, ad templum sanctum Domini, et cogitantes, vos esse in domo Dei, ibique Christum etiam Jesum in Eucharistia latentem extare, mentem animumque vestrum in unum Deum convertite, ac modesti, humiles, supplices, Publicani exemplo, ab eo petite quidquid ad aeternam salutem vobis opus esse existimatis, ne secus agentes, non misericordiam, sed Dei ipsius iram, et indignationem in vos excitetis. San-

ctificate sabbata Domini, ut non modo nihil servile diebus festis exerceatis, sed bonis piisque operibus insistentes, eos transigatis, minime vero in commessationibus, ludis, ebrietatibus, aliisque hujusmodi, quae si semper alias, multo tamen magis diebus divino cultui dicatis summopere devitanda. Super haec, viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et vos mulieres subditae estote viris, sicut Domino, Patres nolite provocare filios vestros ad iracundiam, sed educate illos in disciplina, et correptione Domini, et vos filii honorate Patrem vestrum, et Matrem vestram, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit vobis, et sitis longaevi super terram. Cum autem, docente Paulo, non sit potestas, nisi a Deo, et qui potestati resistit Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt, vos potestatibus subditos esse, et dicto obedire admoneo, non solum propter iram sed etiam propter conscientiam. Mutuam vero in vobismetipsis caritatem semper habentes, quae operit multitudinem peccatorum, diligite alterutrum, et castigate corpora vestra, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, avaritiam, quae est simulacrorum servitus, ac deponentes iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, et turpem sermonem de ore vestro, induite sicut electi Dei, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, omnia agentes in nomine Domini Nostri Jesu Christi.

Verum cum non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo sit, atque omne datum optimum, et donum perfectum descendat a Patre luminum, continenter orationi instemus opor-

tet, ut exoratus Deus ea nobis tribuat divina auxilia, quibus abundemus in omne opus bonum, et vitam assequamur aeternam. Itaque cum fiducia adeamus ad Thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et quo facilius Deus nostris annuat precibus, deprecatricem apud eum adhibeamus *Deiparam Virginem* quae amantissima omnium nostrum parens, maternum in nos gerit animum, tum suffragia petamus S. Juvenalis Episcopi, et Martyris, cui Cathedrale Templum dicatum, et cujus patrocinio vos tantopere gloriamini, ac caelitum omnium, eorum praesertim quorum mortales exuviae tam pie, ac religiose apud vos asservantur.

Dum vero preces funditis, obsecro ut orationes, postulationes, gratiarum actiones peragatis pro omnibus, qui in sublimitate sunt. Et primo quidem pro Gregorio XVI. Pont. Max., ut quem Deus arcano divinae suae providentiae consilio, ad Ecclesiae navem gubernandam selegit, tot circum latrantibus undis, tot saevientibus undique immani murmure ventis, idem ipse Deus det ei auxilium de sancto, ac non solum eum quam diutissime servet incolumem, verum etiam, magis magisque roboret, foveat, ac tueatur, ut majorem in modum confirmet fratres, pascat oves, et agnos et errantes in viam veritatis reducat.

Tum pro Eminentissimo Principe Constantino Patrizi Cardinali vice sacra Antistite urbis, qui morum suavitate, religionis, ac pietatis studio, doctrinae copia, et maximarum virtutum splendore coruscans me hodierno die sacri chrismatis unctione tam benigne perfudit, cujus praeclara in me merita memoria colam sempiterna. Neque immemores mei esto-

te, sed assidue pro me Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum precamini, ut det mihi spiritum sapientiae, et intellectus, spiritum consilii, et fortitudinis, ut dirigam viam meam in veritate, et ea omnia cogitem, atque agam, quae ad vestram salutem pertinent.

Sed jam finis, spero enim quamprimum me ad vos venturum; siquidem desidero videre vos, et os ad os loqui. Interea singulas quosque amantissime complectens, Pastoralem benedictionem omnibus ex animo impertior. Deum votis omnibus, ac precibus obsecrans *ut pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, atque gratia Jesu Christi, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.*

Datum Romae extra Portam Flaminiam VII. Idus Sextiles ipso die consecrationis nostrae An. MDCCCXXXXII.

IMPRIMATUR
Fr. Dominicus Buttaoni Or. Pr. Sac. Pal. Ap. Mag.

IMPRIMATUR
J. Canali Archiep. Colossensis
Vicesg.